

Fallacia syllogismi est vel perfecti, vel imperfecti syllogismi.

Fallacia syllogismi perfecti est, vel ob figuræ, vel ob modi neglectionem.

Suprà diximus, quòd forma syllogismi consistat in legitimâ deductione seu diancæâ syllogisticâ; quodque illa contineat certam figuram & modum. Figura consistit in mediî dispositione legitimâ: modus in justâ contemperatione enunciatorum ratione quantitatis & qualitatis. Sic igitur statuas, præter tres illas figuras *καὶ ἐξοχῆν* sic dictas, syllogismum hypotheticum & disjunctum etiam vocari debere figuras, & in utrâque illâ figurâ certos esse modos. Sic Ramus connexum facit duorum modorum itemque disjunctum. Verùm quia hæ duæ syllogismi species vulgò censentur imperfectæ, inde factum est, ut figuræ & modi vocabulum *ἐξοχῆν* quâdam tribueretur simplici syllogismo.

Fallacia ob neglectionem figuræ est, cùm figura vel prorsus nulla est, vel tantum apparens. *Dici potest* fallacia figuræ syllogisticæ.

Estque ex terminorum vel excessu, vel defectu.

Fallacia ex terminorum excessu est, cùm sunt quatuor vel etiam plures termini.

Estque vel expositionis terminorum, vel vitiosæ subsumtionis fallacia. *Nam ex hisce duobus oriuntur quatuor vel plures termini.*

Fallacia expositionis terminorum est, cùm terminorum est vitiosa expositio:

Ut, Episcopus est sacerdos. Asinus est episcopi. E. asinus est sacerdos. Huc etiam refertur vitiosa suppositio termini disparati: ut, Cœlū non est terra. Deus est rex cœli. E. non est rex terræ. Hic vitiosa est suppositio mediî termini *cœlū*, unde quinque existunt termini, Cœlum, terra, Deus, rex cœli, rex terræ. At enim, inquis, valet hoc, quia valet istud. Cœlum non est terra. Enoch est in cœlo. E. non est in terrâ. Item: Austria est extra Hungariam. Matthias Imperator est in Austria. E.